

operato. 2. Sacramenta quoad integritatem & essentiam communia sunt bonis & malis : Quoad operationem verò sive efficaciam salutarem, Bonorum duntaxat propria. 3. Sacramentorum dignitas non pendet ex dignitate Ministri: alioqui enim nulla salutis nostræ certitudo constare nobis posset: siquidem alienæ conscientinæ recessus nobis haud sunt pervij.

### Quæstio tertia.

80. *Ceterum quoad tertiam Quæstionem, de Vocatione Ministrorum Ecclesiæ, suam sententiam Confessio nostra Art. XIV. paucis exponit, inquit: Docent (Ecclesiæ nostræ) quòd nemo debeat in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.*

81. *Dum ritè sive legitimè vocatis, Ministerij Ecclesiastici jura tribuit Confessio, haud obscure innuit, esse vocationis genus etiam aliud, quod illegitimum nominari queat, cum quis vel ipse malis artibus gubernationem Ecclesiasticam invadit: vel ab alijs, penes quos vocandi ministros potestas non est, Ecclesiæ obtruditur.*

82. *Est verò legitima isthæc vocatio vel Mediata vel Immediata.*